



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos  
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum  
Christianarum Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helmestadi[i], 1671**

Cap. XII. Quomodo Iudaeis multa mala acciderint.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**

visse dicitur, quia sibi prius non fuerat delatum, sed  
 auctoritatem suam vulgi prævenerat opinio. Tibe-  
 rius autem manet in sententia, comminatus pericu-  
 lum accusatoribus Christianorum. Quo per divinam  
 providentiam adversus nostros clementer agente,  
 mox brevi tempore in omnem terram prædicatio  
 diffunditur. Convertuntur innumeræ multitudines,  
 & per doctrinam Christi, & virtutum miracula, ad Ec-  
 clesias congregantur. *Cornelius* in Cæsarea primus,  
*Petro* ministrante, convertitur; in *Antiochia* per pluri-  
 mi de gentibus credunt, ubi florentissima congrega-  
 tur ecclesia per Discipulos, sub *Stephano* in prima per-  
 secutione dispersos. In qua etiam erant Prophetici  
 ordinis viri, cum quibus *Paulus* & *Barnabas*.

## C A P. XI.

*De impositione prima Christiani nominis.*

Ibi primum Discipuli, imposito in fonte Baptismatis  
 vocabulo, *Christiani* nuncupantur. Ibi & *Agabus*, ex  
 Prophetis unus eorum, qui aderant, de fame futura  
 sub *Claudio* prophetavit. *Tiberius* viginti & duobus  
 annis sedit.

## C A P. XII.

*Quomodo Iudæis multa mala acciderint.*

Interea *Tiberius*, post viginti & duos annos principa-  
 tus sui, moritur. *Cajus* succedit in imperio, tradens *A-*  
*grippæ* regnum Iudæorum, simul *Philippo* & *Lisaniæ* &  
*Herodi* Tetrarchias, præfato *Herodi* perpetua depor-  
 tationis pœna imposita.



## H A Y M O.

Circa hoc tempus Iudæis multa accidunt mala, propter piaculū, quod in Salvatorem commiserunt, Cajo persequente. Ad quem *Philo*, tunc insignissimus Scriptor apud Hebræos, pro contribulibus suis Iudæis legationem suscepit, propter exortam apud Alexandriam seditionem inter Græcos & Iudæos. Ipse *Philo*, contra *Ap-pionem*, qui erat ex parte Græcorum, potentissime purgat Iudæorum objecta: sed spernitur à Cajo, cum odisset Iudæos *Cajus*, pro eo, quod ei neque aras, neque templa neque imagines faciebant. Erat enim tantæ vesaniæ & præsumptionis, ut DEVM se voluerit appellari. Qui etiam templum sanctæ civitatis replens imaginibus & statuis, quod solum intactum à prophana religionis contagione fuerat, commutare in templum proprij nominis ausus est, ut, pro pudor! *templum Domini*, ædes nobilissima, *Iovis & novi Dei Caji* vocaretur. Quæ omnia in suis libris *Philo* plenius describit; & alias innumeras clades, ultra omnes tragicos luctus, Iudæis irrogatas esse dicit apud Alexandriam.

## C A P. XIII.

*Actum tempore Tiberii.*

**A**t Iosephus mala enumerat, quæ apud Hierosolymam eis acciderunt, & quomodo Pilatus in Hierosolymam intulit imagines Cæsaris.

CAP.